

proprietas factâ, Rectum dicitur. Actio effectum optatissimum citissimè attingens, viâ proficiscitur brevissimâ ad finem. Ergo est recta. Ipsaque illa Comparatio, quâ inventa est, supponit omnia adeo perpensa, ut sciantur & quæ ad finem minus proficiunt, multoque facilius quæ ei producendo obstant.

Verum expendemus Definitionem datam. Propositio Inempe vera, uti sequentia docent, simplicius hoc & apertius videbatur verbum, quam Phrasis *Dictamen rectæ Rationis*, quæ semotâ tandem ambiguitate illuc recidit. Nec visum est generis loco orationem ponere, quod fecit Hobbius, ne quis verborum aut singulorum quorumlibet arbitrariè institutorum usum, & notitiam ad legis essentiam requiri falso reputaret. Actionum humanarum, effectuum bonorum malorumque humanæ naturæ, præsertim verò præmiorum, poenarumque iis coherentium notitia, seu conceptus animo formati, & in propositionum practicarum, quales descripsi, formam redacti sufficiunt ad legis essentiam constituendam: Hujusmodi autem cogitationes in animis eorum qui surdinati sunt, ex observatione generari possint, licet verborum sonum, aut vim non capiant, atq; adeo etiam illis innotescant leges naturales.

A natura] Efficientis mentio in hac definitione facienda erit, quoniam non Legis simpliciter Definitio requiritur, sed Legis Naturæ, quæ vox auctorem, seu Efficientem exprimit. Natura rerum] non solum inferiorem hunc mundum, cuius nos pars sumus, sed & ejus Conditoem, Rectoremque Deum significat; nempe in hunc effectum

ctum